

Uno Animo ac Ore precantur
Prisci Recentioresque.

Adesto Lumen verum, Pater omnipo-tens Deus! Adesto Lumen de Lumine, Verbum & Filius Dei, Deus omnipo-tens! Adesto Sancte Spiritus, Patris & Filii Concordia, Deus omnipotens! Adesto Deus unus, Omnipotens, Pater, Filius, & Spiritus S. ! Hanc fidem in te, per te, de-te confitemur, Te Unum in substantia trinum in Personis confitemur, Pater, Filius & Spiritus S. ô beata Trinitas! Deus, Dominus, Paracletus. Caritas, Gratia, Communicatio. Genitor, Genitus, Re-generans. Verum Lumen, Verum Lumen ex Lumine, Illuminatio. Invisibilis invisi-biliter, visibilis invisibiliter, Invisibilis vi-sibiliter! Fons, Flumen, Irrigatio! A quo, per Quem, in Quo omnia! Vivens Vita, Vita à vivente, Vivificator Viventi-um. Verax Pater, Veritas Filius, Veri-tatis Spiritus. Una Essentia, una Virtus, una Bonitas. Deus, supra quem nihil, ex-tra quem nihil, sine quo nihil. Deus sub quo totum, in quo totum, cum quo to-tum. Te invocamus, Te adoramus, Te Laudamus. Doce Fidem, excita spem, infunde Caritatem. Amen!

VI.